

admiserimus, in nobis morabitur semper: imò nescio an diutius perseueret sine sua comite ac ministra. Omni loco ac tempore tangatur, necesse est. Quodcūq; inimicus eius inflixerit, solus sustinere non poterit, carens instrumento sustinendi. Hæc patientiæ ratio, hæc disciplinæ, hæc opera celestis, & uere scilicet Christiana: non ut illa patientia gentium terræ, falsa, probrosa. Nā ut in isto quoque domino diabolus emularetur, quasi planè ex pari, nisi quod ipsa diuersitas mali & boni æqualiter magnitudinis par est, docuit & suos patientiam propriam:

illam dico, quæ maritos dote uenales,
aut lenocinijs negociantes uxorū
potestatibus subijcit.

Quæ aucupandis orbibus omnē coacti obsequij laborē mentis adfectionibus tolerat: quæ uentris operarios contumeliosis patrocinijs subiectione libertatis gulæ addicit.

Talia nationes patientiæ studia nouerunt: & tanti boni nomē, scædis operationibus occupant: patientes solius dei uiuunt. Sed uiderint sua & sui præsidēs quæ patientia subter ignis expectat. Cæterum nos amemus patientiam dei, patientiam Christi: rependamus illi, quam pro nobis ipse defendit. Offeramus patientiam spiritus, patientiā carnis, qui in resurrectionem carnis & spiritus credimus.

Q. SEPTIMI FLORENTIS

TERTVLLIANI,

DE PATIENTIA

FINIS.